





1792, 8  
486 8

DISSERTATIO INAUGURALIS IVRIDICA

Q V A

COMM O D A  
S V P E R S T I T I S    C O N I V G I S

I N  
C O M M V N I O N E B O N O R V M V N I V E R S A L I

M I N I M E  
S V C C E S S I O N E M H E R E D I T A R I A M

S E D  
M V T A T I O N E M C O N D O M I N I I I N D O M I N I V M S O L I T A R I V M  
E F F I C E R E C O N T E N D O

Q V A M

S V B A V S P I C I I S A V G V S T I S S I M I S R E G I I S

C O N S E N T I E N T E  
I L L V S T R I I V R E C O N S V L T O R V M O R D I N E

P R O S V M M I S

I N V T R O Q V E I V R E H O N O R I B V S

R I T E C A P E S S E N D I S

E R V D I T O R V M E X A M I N I S V E M I T T I T

A V C T O R

F R A N C I S C V S P H I L I P P V S C H R I S T I A N V S  
M E C K L E N B V R G

B O I T Z E N B V R G O - M E G A P O L I T A N V S

D I E X X A P R I L I S M D C C L X X X X I I

G O T T I N G A E

I N O F F I C I N A B A R M E I E R I A N A .

*Handwritten text on the left edge of the page, likely a library or collection stamp.*





P A T R I O P T I M O

SVMMA QVA PAR EST REVERENTIA

A C

OBEDIENTIA NVNCQVAM NON PIE COLENDO

CVM SINCERRIMO PERPETVAE SALVTIS

ET FELICITATIS VOTO

OB TOT TANTAQVE

AB EO ACCEPTA BENEFICIA

FINITO IAM ACADEMICO CVRSV

PUBLICVM PIETATIS  
ET OBSERVANTIAE MONVMENTVM  
SACRVM ET DEDICATVM ESSE VOLVIT  
OPTIMI AC VENERABILIS PATRIS

FILIVS PIETATE AC QVOVIS REVERENTIAE  
ET OBSERVANTIAE CVLTV NEMINI SECVNDVS

A V C T O R .

---

## CONSPECTVS.

### I. Generatim agitur

#### A. de communione bonorum cuius dantur

a.

a. notio et diuisio §. 1.

b. ratio §. 2.

c. origo §. 3.

b. effectus generales in successione §. 4.

#### B. de propriis et fundamento iuris romani circa successione §. 5.

### II. Speciatim demonstratur C. B. U. omnem successione romanam excludere §. 6.

#### I. id quod probatur

#### A. ex ipsa indole communionis. Haec enim consistit in condominio, in cuius naturam inquiritur

a. ex iure romano §. 7.

b. ex iure germanico ostenditur

a. ex

## CONSPECTVS.

- a. ex idea C. B. V. §. 8.
- b. generatim ex legis dispositione §. 9.
- B. ex aliis rationibus et insufficientia obstantium §. 10.
  - 2. consequentiis illustratur
    - a. pendente matrimonio.
      - 1) respectu mutui §. 11.
      - 2) respectu alienationis §. 12.
    - b. finito matrimonio §. 13.



§. I.

*Notio et diuisio.*

Quamquam non ignorem, controuersa haud pauca e variis interpretationibus in argumentis ex communione bonorum deducendis esse reddita, quamquam mihi satis cognitum sit, multos celeberrimos viros illud argumentum sub examen vocasse, attamen ausus sum, hac de materia nonnulla summa, qua par est, modestia ac verecundia secundum meas vires dicere. Praefertim etiam utilitas huius doctrinae in patria mea, et persuasio, hanc materiam forsan alio modo alioque ordine pertractari ad specimen dissertationis inauguralis eligendum, me commouerunt.

Effectus iusti matrimonii, quo coniuges omnia bona quae iure condominii tam quae ab eis in matrimonium adferuntur, quam quae in matrimonio acquiruntur, pro indiuiso possident, sub voce communionis bonorum vniuersalis comprehendo. Hac  
C.

C. B. V. per iustum matrimonium in bona omnia pro indiuiso initum, ius in iisdem bonis coniugibus commune est, quod alioquin ante transitum in matrimonium alterutri coniugi non competebat, ac proinde iura in proprietate contenta indiuisa sunt, et ad vtrumque coniugem coniunctim spectant. Hac communiōne, qua omnia bona in condominio pro indiuiso obueniunt, morte vnus non ad proximos propinquos eius, sed ad alteram partem, non iure successionis hereditariae, sed per mutationem condomini in dominium solitarium devoluntur *a)*. — Sed dispositione principum, limitationibus, exceptionibus distinctionibusque doctorum hac in materia, natura huius fauorabilis instituti tam mutata est, vt nonnullis in terris nomen communionis bonorum adfit, sed effectus et iura non manserint. Tales sunt praecipue, quod C. B. in vniuersalem et particularem, respectu originis in consuetudinariam, statutariam et pactitiam, respectu permanentiae, in ordinariam atque prorogatam, et respectu limitationum in regularem atque irregularem fuerit diuidenda.

Sed omnes hae species a vera C. B. V. abhorrentes, haud a nobis sunt hoc loco pertractandae, sed solum de C. B. V. nobis inquirendum est.

§. 2.

*a)* Perill. I. F. RVNDE *Grundsätze des allgemeinen deutschen Privat-Rechts. S. 607.*

## §. 2.

*R a t i o.*

Talis C. B. V., in qua maritus et vxor omnia bona pro indiuiso possident, quae mea est opinio, destinationi omnibusque aliis effectibus matrimonii valde conuenit. Nam cum societas coniugalis tam naturale vinculum est, et tali quidem modo, vt alter ab altero iucunditatem atque felicitatem expectet, quo bona atque mala suslineantur, nihil etiam naturae magis congruens puto, quam quod de bonis ipsorum etiam aequalis finis speretur. Iura Germaniae positua praecipue regulam ex amore sumserunt in promulgandis legibus hereditariis, et nullum amorem, matrimoniali, maiorem credo, ideoque ex hac regula coniux superstes primus erit, cui omnia bona attribuuntur atque permanent. Sed nulla successio, si vis ita denominare, in bona defuncti plenior cogitari potest, quam si bona, quae in matrimonio in condominio pro indiuiso illis erant, post mortem vnius in possessionem alterius in dominium solitarium rediguntur.

Ast quomodo hoc vinculum amoris et fidei reciprocum, huius destinationem vbi spectes, consistere potest? si semper de meo et tuo dicitur, et nullum remedium, separatione bonorum, ad dissoluendum amorem atque fidem fortius inueniri potest. Et quisnam bonorum conseruandorum et augendorum stimulus erit feminae? si ei haud ignotum est, fructus suae oeconomiae vel

pro parte vel pro toto ad propinquos mariti peruenturos *b)*. Nonne cogitatio illa eripiendi bona ex communione animum feminae subire debet? et quomodo cum hac cogitatione et voluntate amor consistere potest? praesertim odiosa actione rerum amotarum hoc exfacto orta.

Insuper quae incommoda reipublicae sunt pertimescenda absente C. B. V. praecipue his in terris mercaturam obtantibus? nam si coniux nullam oeconomiae curam adhibuerit, bona omnia cum marito consumserit, ex beneficiis iuris Romani tamen captandi creditores, forsan etiam falso iuramento se locupletem reddendi facultas ei data est. Tunc abundat certe discrimen inter bona vxoris dotalia, paraphernalia, receptitia, mariti donationem propter nuptias, dominium dotis naturale vxoris et ciuile mariti, perniciofa differentia tunc dotis profectitiae, aduentitiae, quaesitio similiter repetendae et restituendae dotis, liberis exstantibus, et aliae iuris tricae, lites non componentes, sed multiplicantes, coniugem contra coniugem, liberos contra parentes et parentes contra liberos irritantes, oriuntur.

Hoc instituto his terris mercaturam agentibus deficiente, quomodo bona fides, anima mercaturae, consistere? quomodo  
alius

*b)* MONTESQUIEU Esprit des Loix. Lib. 7. c. 16.

alius cum alio negotia tractare? quomodo alicui fides dari potest? si contra omnes interuentiones foeminae sibi non satis prospexit. Sed tanta incommoda mercaturae inferendi locus non esse debet, et maiores progressus ibi fient, vbi tunc negotia iam pertractare licet, si tantum constat, maritum soluendo esse, fortasse pecunia vxoris, iure praelationis in concursu haud gaudentis.

## §. 3.

*Origo.*

Sed nunc inuestigandum, vbi et quando institutum C. B. V. inueniendum sit. C. B. V. Romanis ignotam fuisse, quod olim NIC. BAERIUS *c)* et ABRAH. a WESEL *d)* negabant, nunc mea opinione satis grauib. cum argumentis demonstratum est *e)*. Qui opiniones priorum tam ex historia et iniusta applicatione legum

*c)* ad consuetudines Bjruticenses. Tit. de consuet. matrim. §. 2.

*d)* Comm. ad Const. Ultraiecl. art. 10. Nro. 22. sq. pag. 74. nec non de conubiali societate. Tract. I. Nro. 21. pag. 8.

*e)* I. VOET in C. ad P. Lib. 23. tit. 2. Nro. 65. 66. W. A. LANTERBACH D. de societate bonorum coniugalium. §. 3. H. LANGE von der Gemeinschaft der Güter unter Eheleuten. p. 31.

gum Romanarum *f*) et notationum DIONYSII HALIC. *g*), quam ex infelici explicatione nonnullorum verborum sicuti *domina* satis demonstrarunt, et LUDWIG *h*) causas designauit, quare hoc institutum apud Romanos fortasse iotroduci non posset. Multi ex iure canonico originis C. B. V. demonstrandae cupidi fuerunt *i*). Sed restitutio dotis, cuius hoc capitulo fit mentio, multa argumenta non pro ea sed contra eam profert. Etiam hic locus ex iure canonico multis aliis ex argumentis reprobatus est *k*). Necessè igitur est, vt huius instituti origini in Germania apericndae operam

*f*) L. 41. D. de legatis IIItio. qua, femina — Domina et L. 19. §. 1. D. de legatis, domina gratissima denominatur. Sed leges romanae contrariae sunt C. B. V. nam superstes coniux solum ex iure Praetorio in subsidium si nulli sunt descendentes, ascendentes et collaterales, ad hereditatem admittitur. Si autem idea C. B. V. iam in iure Rom. fundata fuisset, tunc leges successione praeforibentes longe aliter ferri debuissent.

*g*) Hist. antiq. Rom. Lib. II. cap. 4. ex lege Romuli C. B. V. inter coniuges explicari debet, sed legibus Romuli feminae sub dominio maritorum erant, et hi ob leuiora delicta ius vitae et necis in eas habebant.

*h*) in appendice D. de successione coniug. &c.

*i*) Cap. 2. X. de donat. inter V. et V. — Guidonem ad restitutionem dotis et ad diuisionem eorum, quae olim communiter habuerunt, ecclesiastica districtione compellor.

*k*) LANGE I. c. S. 36. 37.

operam demus, et multi vniuersalem, 1) HEINECCIUS quantum ad particularem m). C. B. V. nonnullis ex verbis I. CAESARIS n) et TACITI o) probare studuerunt. Sed ex verbis I. CAESARIS nullo modo C. B. V. interpretanda est, cum in illis tantum de dote vxoris et donatione propter nuptias fermo sit, caeteraque bona vniuersisque sibi teneat. Adhaec hoc loco de Gallia non de Germania fermo est, cum in introitu Cap. 21. expresse ait "Germani multum ab hac consuetudine differunt," sed verbis TACITI minor adhuc vigor hac in materia inest, nam solum vxor monetur, vt fiat particeps periculorum laborumque mariti, et TACITVS, quod si libori, inquit, a patre non relinquerentur, proximi in gradu ad successionem venirent v. g. fratres, patru, auunculi,

B 3

culi,

1) GROTIVS in] antiq. Reipubl. Batav. Cap. II. RODENBURG de iure coniugum. praelim. §. 3. &c.

m) in Elem. iur. Germ. Lib. I. tit. 12. §. 263. 64.

n) de bello Gallico Lib. VI. c. 19. Viri quantas pecunias ab vxoribus dotis nomine acceperunt, tantas ex suis bonis aestimatione facta cum dotibus communicant. Huius omnis pecuniae coniunctim ratio habetur, fructusque seruantur. Vter eorum vita superavit, ad eum pars viriusque cum fructibus superiorum temporum peruenit.

o) Cap. 18. de moribus Germ. — ne si mulier extra virtutum cogitationes extraque bellorum casus putet, ipsis matrimonii incipientis auspiciis admonetur, se venire laborum et periculorum sociam, idem in pace, idem in proelio passuram ausuramque esse.

culi, quod si hoc loco C. B. V. exprimi debuisset, certissime ita esset, "si vxor et liberi non essent". Multae aliae sunt praefunctiones vrgentissimae, quae id institutum in octauum saeculum transferre volunt, sed cum certitudine dicendum est, decimo tertio saeculo C. B. V. per totam Germaniam, et non, sicuti LAVFERBACH p) per nonnulla secula fuisse cognitam. Testimonia, quae hac de re nulli dubio subiecta, testimonia, quae hac in materia sicuti lex et norma decidendi aestimanda sunt, quae a saeculo 13 -- 15. per totam Germaniam ius constituerunt et apud nos maximam fidem historicam merentur, de instituto tunc temporis pleno in vigore existente, sunt spec. sax. et Suevoicum q). Haec specula C. B. V. verbis directis nobis indicant, ita vt etiam, qui ideis romanis tam affuetus est, satis intelligere possit, quae sit natura, quae indoles instituti germanici C. B. V.

## §. 4.

*Effectus generales in successione.*

Haec communicatio, haec pro indiuiso possessio omnium bonorum coniugum, qua coniuges ab initio matrimonii vsque ad

p) l. c. cap. II. §. 7.

q) Lib. 1. art. 31. Mann und Weib haben nicht gezeuget Gut zu ihrem Leibe. Schwäb. Landr. cap. 46. Mann und Weib mögend nicht haben Gut gezeuget. Cap. 34. stirbet einer Frau ihr Mann, sie bleibet in des Mannes Gut ungeheilt mit ihren Kindern.



ad mortem bonis suis pro indiuisis utuntur fruuntur, certissime etiam effectus in successione producere debet. Nam quanam utilitas hac de lege sit expectanda, si etiam ab uno coniuge constante matrimonio nihil communibus de bonis possit alienari, nihil donari, sed per ultimam voluntatem alter alteri maximam partem bonorum in matrimonium adlatorum atque acquisitionum sumere possit. Nihil itaque naturae magis conueniens esse potest, quam quod hoc in instituto, Romanis ignoto, etiam leges romanae successoriae non possint applicari, sed speciales effectus in successione esse debeant. Credo, me dicere posse in sensu iuris communis in instituto comm. bon. univ. nec successione esse testamentariam nec ab intestato Testamentaria si unus coniux uti possit, insanum erit, sicuti iam supra diximus, constante matrimonio prohibere, ne unus aliquid alienaret seu donaret, et per testamentum ei hoc permittere. Ab intestato, tunc vnus ab altero nihil possit iure acquirere, maritus omnia bona, quae in matrimonio bonis communibus acquisiuit, in extraneos possit transferre. Haec morte vnus coniugis nihil aliud peragitur nullum aliud cominodum, nulla alia successio, si vis ita denominare, cogitari potest, quam quae ex natura huius instituti, ex ingenio huius rei fluit, quam naturam Spec. Sac: et Sæv: imitabantur. Conscensione thalami in instituto C. B. V. bona viri et uxoris sunt aequalia, ita ut bonis aequali iure utantur ac fruuntur, vnus sine alio nihil respectu bonorum disponere possit. Morte  
vnus

vnus quaestio haud enascitur, quis sit proximus? Cuius sit ius succedendi? Sed tota mutatio in hoc consistit vt condominium in dominium solitarium permutetur. Si igitur etiam in statutis nonnuquam dicitur, *Erben erblich zufallen, nach dem Tode seinen Theil erhalten*, hoc non secundum verba sed terminos habiles pro substrata materia explicandum est, quod vel ignorantia legislatorum, vel, quia credebant, rem indubitatum esse in materia de C. B. V. receptum est. r).

## §. 5.

*De Proprietatibus et fundamento iuris romani circa successionem.*

Sed haec longe aliter se habent in successione romana, de qua pauca tantum dicam, quia solum disharmoniam a C. B. V. indicare debent. Nam longe alia est successio romana. Si defunctus in testamento de bonis suis dispositionem facit, secundum principia romana ei permissum est, omnia bona, quae ei erant, alii relinquere, nulla foeminae habita ratione, et dote vxori seruata, illa nihil iure ab eo petere potest.

Conscensione thalami bona viri et uxoris non sunt aequalia, sed hi de felicitate et amoenitate vitae hac coniunctione non de bonis aequalem finem expectant. Coniuge ab intestato e vita  
 disce-  
 \*) LANGE l. c. p. 159.

discedente, non illa omnia bona acquirit, cuius cura ac diligentia, cuiusque dote bona acquisita sunt, sed fortasse ille, qui ante mortem defuncti nomen eius vix sciuit, cuius cura ac solertia nihil acquisitum, qui non bona atque mala cum eo tulit, ut vxor defuncti. Huic dos, quam iam antea habuit, tantum restituitur, et bona, quae labore ipsius acquisita sunt, extraneo cedere debet. Nullum ergo ei commodum, fortasse autem bonis a marito dilapidatis, dotem ne saluam quidem habet. Sed mea opinione dispositio C. B. V. cum aequitate valde coniuncta est, quod si foemina bona in matrimonium adduxit, his cum eius cura plura bona acquiruntur, ut sint etiam commoda, cum incommoda esse possint.

§. 6.

*Speciatim demonstratur, C. B. V. omnem successionem romanam excludere.*

Ex his secundum meam opinionem satis clarum est, quantum natura C. B. V. a legibus Romanorum abhorreat. Sed ficuti §. 3. demonstrauius, institutum C. B. V. non in iure romano quaerendum esse, mihi adhuc liceat, nonnullas peruersas argumentationes Romanorum explicare. DIONISIUS HALIC: in historia rom. lib. II. mentionem legis Romuli facit, qua non solum iura sacra atque humana, sed etiam bona inter coniuges communia facit. *Ἰουλιῆς νόμου ἀποτῶν εἶναι χρημάτωντα καὶ ἱερῶν*

C

Sed

Sed Romulus hisce verbis non de C. B. V. cogitavit, cum foeminae tempore Romuli sub dominio maritorum essent, et secundum VERTOT s) his ius esset, ob parva delicta v. g. si vinum biberunt, eas vita priuandi, et hic de usufructu solum sermo est. Et quomodo ibi cogitatio C. B. V. esse potest, vbi apparet, fisco in successione fortius ius esse, quam superstiti coniugi. t), Sed thesi nostrae maior adhuc claritas aderit, C. B. V. omne ius romanum excludi, si solum fundamentum C. B. V. respicere velimus, id enim consistit in condominio.

Sed theoria iuris romani et germanici in materia de condominio maxime inter se differt, et vix contendere audeo, nullum principium aequaliter hic esse applicandum.

## §. 7.

*Condominium secundum ius romanum.*

Secundum ius romanum Condominium est dominium, quod pluribus simul in eandem rem competit, quo quidem cogitari possunt partes diuisae, ita vt vna deficiente pars eius non vacans fiat, nec reliquis accrescat, sed ad heredes suos transmittatur. Vnde quidem perspicitur, plures condominos sibi quidem  
instar

s) histoire de la republique romaine. p 8.

t) arg. L. un. C. vnde vir et vxor.

instar fociorum esse, attamen ex hac coniunctione fundamentum successione sumi non posse. Ecce, cum nulla societatis in aeternum sit coitio L. 70. D. pro socio, semper ad dissoluendum condominium agi potest, nec heredes in locum condominorum succedentes ad continuandum hoc condominium tenentur.

§. 8.

*Ex iure germanico ostenditur*

*a. ex iura C. B. V.*

Sine allegatione distinctionum domini secundum ius germanicum statim demonstrare volo, condominium non sicuti secundum ius romanum per mortem finiri.

Si essentialia requisita domini pluribus personis pro indiviso competant, condominium nascitur *u*). Huiusmodi condominium est in C. B. V. quod coniugibus in bonis in matrimonium adlatis ac acquisitis competit. Nam C. B. V. vi condominium efficit, ut ambo coniuges a principio matrimonii usque ad mortem bona pro indiviso possideant, utque nulli ius sit praecipuum. Facit, si matrimonium rite fuerit consummatum, nam C. B. V. est effectus iusti matrimonii, quo coniuges omnia bona iure con-

C 2

dominii

*u*) RUNDE I. c. §. 263. 603.

dominii possident ut bona non moriente uno diuidantur atque ad propinquos huius partis deferantur, sed sicuti Perrill, G. L. BOEHMERVS v) eam in perpetuum datam censet et in perpetuum concessam intelligit. Nam cum Germani hanc coniugum, quam mutuus postulat amor, agnouerint obligationem, ut viduitati esset prospiciendum, deinde cum non minus commodis et educationi liberorum post alterius coniugis mortem a superstitibus sit consulendum, ne quidem ipse finis, cuius causa bona in communionem deducta sunt, cessat, ac proinde nec condominium bonorum coniugalium indiuisorum indefinite concessum, ad terminum vitae alterius coniugis intelligitur. Nam dispositio iuris germanici in C. B. V. quae fundamentum in condominio habet, ita est finito matrimonio, si liberi non sunt, tunc nulla est cogitatio de successione hereditaria, sed condominium in dominium solitarium permutatur, et nunc quod haecenus inter coniuges commune fuit patrimonium, post alterius coniugis in solius superstitis dominio permanet, nullum defuncti ascendentibus, nullum collateralibus, in eadem bona vel in eorum partem ius succedendi competit. Quare vetustus interpret H. KREFTING in Cod. Msc. Statut. Brem. Tit. V. dicit, ad verba: "So twe thosamende kamet in Echt-, schup, wat de hebbet das ist öhre beide" ex indole communio- nis et ex ea desumpta obseruantia, liberis deficientibus solius coniugis

v) in electis Tom. III. exerc. 17. §. 14.

igis superstitis esse omnia in communionem deducta bona, exclusis defuncti parentibus agnatisque. "Wenn der verstorbene keine Kinder, sondern einen Ehemann oder Ehefrau nachlassen; so soll derselbe Mann oder Frau des anderen Schuld gelten und ist sein Erbe, und wird nach Inhalt dieses Textes allen anderen Freunden, auch Vater und Mutter vorgezogen und präferirt".

Quo etiam paroemiae germanicae pertinent Huth bey Schleier und Schleier bey Huth, "Leib an Leib und Gut an Gut", der letzte macht die Thür zu".

Si autem liberi ex matrimonio geniti sunt (C. bonorum prorogata) tunc non sicuti in iure romano heredes defuncti patris fiunt, sed hi liberi qui naturale ac priuatum ius in bona parentum habuerant, in locum defuncti veniunt, ac communionem bonorum continuant, et cum parentes in condominio pro indiuiso erant, condominium cum liberis etiam perseverat. Alterutrius videlicet coniugis morte si liberi ex coniugio adsunt, vitae connubialis consortium quidem tollitur, onera matrimonii vero a superstite adhuc ferenda, liberorum educatio et commoda instruenda et promouenda, vita denique in viduitate honesto modo ducenda est, quorum efficiendorum causa, cum vtriusque coniugis bona in communionem sint deducta, haec inter superstitem, et qui in praemortui condominium bonorum indiuisorum succedunt, liberos

continuatur, eisdem habet iuridicos effectus, et superstes coniux solum habet administrationem, etiam haud obligatus ad rationes tutelae reddendas *w*). Huius vestigia supersunt in iure prov.: ALLEMANN: cap: 227. ex ed: BERGERT Pag: 46. *sürbet einer Frau ihr Mann, sie bleibet in des Mannes Gut ungetheilt mit ihren Kindern.* Post alterius obitum, eiusdem connubii liberis nullum ius est, portionem determinatam seu legitimam ex bonis communibus petendi, vel diuisionem exigendi, id enim pugnat cum continuata bonorum communionem.

## §. 9.

*b. generatim ex legis dispositione.*

Haec natura condominiumi in materia C. B. V. fundata etiam a posterioribus temporibus a legibus nostris conseruata est. Nam iura quae hoc tempore per totam Germaniam hoc de instituto florebant, et apud nos maximam fidem merentur, satis ad hoc testimonii sunt. Speculum sax. enim Lib. I. art. 31. Mann und Weib haben nicht gezweit Gut zu ihrem Leibe, et Spec. suev. cap. 46. Mann und Weib mögen nicht haben Gut gezweiet, et cap. 34. sürbet einer Frau ihr Mann, sie bleibet in des Mannes

*w*) PUFFENDORFF Observ. Tom. I. obs. 86. 9. 7. 8. HOFFMANN teutsches Eherecht, Seite 284.



nes Gut ungetheilt mit ihren Kindern. Ex his verbis, sumtis ex legibus illo tempore summo vigore gaudentibus ex natura instituti deriuatis, optime concluditur, vxorem haud heredem mariti, sed hanc dominam exclusiuam fieri, cum antea solum condolina esset. Quod liberi patris viuentis matre haud heredes fiant, sed cum matre communionem continuent, et quod matri haud necesse sit cum liberis diuidere. Haec natura instituti germanici C. C. V. in condominio fundata, etiam per leges provinciales, eo tempore confectas, quo hoc institutum summo splendore erat, recepta est. Quo refero etiam das Sost. und Lüb. Recht. Ex iisdem principiis ex natura instituti abstractis, etiam die brem. Statuten §. 5. nro. 6. Wo twe thofamende kamet in Echtfchap i. e. matrimonium legitimum, wat de hebbet i. e. omnia bona, das ist öhre beiden i. e. condominium - Statuta Mühlhufiana eodem modo naturam instituti imitantur nro. 7. Kommen 2 Personen zusammen in rechter Ehe so bleibet der überlebende ein Herr aller Güter. Si ergo dominus bonorum manere debet, necesse est, hunc fuisse, et si viuentis altero iam dominus fuerit, solum de condominio intelligi potest.

§. 10.

*Ex aliis rationibus demonstratur et insufficientia obstantium.*

Ex his satis intelligitur, quantum natura romani et germanici condominii a se inuicem differat, quae hac in materia fundamen-

damantum decisionis in speculis et legibus prouinc. imitata est. Et solum pruritus, nouas speciales leges condendi, et amor Ictorum in leges romanas effecit, vt vetus nostrum ius in doctrina de communionem bonorum tam mutatum sit. Sed haec iusta natura condomini ibi esse debet, vbi nostris temporibus ea adhuc in vsu est; necesse itaque est, vt etiam moriente vno effectus adhuc sint, nam hoc institutum praecipue fauori mercaturae datum est, et si foemina post mortem dotem repetere possit, hoc institutum valde inutile erit.

Praecipua dubia, quae ab aduersariis allegantur, in hoc consistunt. Dicunt, omnes societates morte vnius finiuntur, quia in contractu societatis determinata persona eligitur, cuius praecipua cura adhibita est. §. 5. Inst. de societ. et dicunt, haec in doctrina certissime ea posse applicari, quia haec societas ex causa matrimonii suscepta est, dissoluto ergo per mortem socii matrimonio soluitur etiam societas. Multi quoque Icti dicunt, quicquid soluit matrimonium, soluit etiam comunionem, tamquam huius effectum. Sed haec principia iuris romani de societate minime ad hoc institutum germanicum possunt applicari. Sed quod iam in §§phis antecedentibus dictum, hic est repetendum, quod coniuges consensione thalami condomini pro indiuiso omnium bonorum fiant, et morte vnius vel cum liberis in prorogata societate continuant, vel liberis non existentibus bona, de qui-

quibus superstes viuente altero iure condomini disponere potuit, nunc iure domini solitarii disponere possit, quae natura C. B. V. sicuti demonstrauius a veteribus Germaniae legibus tam generalibus quam specialibus, quae mercaturam optent, introducta est. Et id, quod de portione statutaria nonnullis in legibus dicitur, a vera natura abhorret. Alterum, meo opinione, maximi pretii argumentum contra meam opinionem in hoc consistere debet, cum dicunt, allegatione tot tantarumque legum prouincialium nihil probari, sed hoc solum argumento esse in hoc loco vel illo territorio iura, ita statuere et de vno territorio nunquam ad alterum posse concludi, deinde quod pertinet ad specula, volunt, haec hodie minime vim legis habere, cum in decidendis litibus non ad sententiam speculorum sed ad voluntatem legum imperii Germanorum et Romanorum obligati sumus. Numquam mihi in mentem incidit, hoc negare, et nemo, sana mente praeditus, id negare potest. Sed ad hoc facile respondendum est. C. B. V. in Germania prius in vsu fuisse quam spec. sax. cura EIKE ab REPGOW infra annos 1215 - 1218 et sueuicum ab auctore 1262 - 68. confecta erant. Si ergo haec specula et ceterae veteres leges Germanorum, quae quidem apud nos auctoritatem legalem non merentur, attamen maximam fidem historicam de instituto, quod illo tempore summo vigore gaudebat, exhibent, satis patebit, has leges hac in materia ex natura huius instituti

ex consueta norma decidendi deriuatas, minime institutum C. B. V. secundum has leges esse determinatum.

§. II.

*Consequentis illustratur,*

a) *pendente matrimonio*

a) *respectu mutui.*

Nunc adhuc speciatim inuestigandum est, quanti haec contemplatio sit momenti, et qui effectus ex hoc oriuntur. Primum interesse huius quaestionis indagare volo matrimonio adhuc durante, deinde finito eo. Effectus in matrimonio, si C. B. V. locum habet, iam ex hoc perspicui sunt, vnum tantummodo patrimonium esse, cuius respectu coniuges pro vna persona morali habendi sunt. Cumque omnis differentia diuersorum bonorum vxoris per hoc cessat, etiam omnia iniqua beneficia foeminis a iure romano ad captandum creditores mariti data, desinunt. Nam iure romano vxor ad debita mariti nec constante matrimonio nec eo finito soluenda tenetur, et nullus fauor fideiussionibus vxoris datus est, cum Auth: si qua mulier secundum iustam theoriam non aliter quam iurato potest renunciari. Sed natura C. B. V. aliter disponit. Efficit enim connubialis bonorum communio, vt vtriusque patrimonium pro confuso et pro

vno

vno habeatur et obligatio ad soluendum inter vtrumque coniugem sit communis, nec vxor bona in societatem illata repetere, nec iure praecipuo quo alioquin iura Latii vxoribus ratione dotis vel paraphernalium repetendorum prospiciunt, vti potest. Nam repetitio dotis et C. B. V. contradictionem involuunt x). Qua ex natura apud germanos paroemiae prouenerunt, ex quibus videre licet, non solum aes alienum in matrimonio contractum y) sed etiam debita intelligi, quae a primo marito foeminae facta etiam a secundo soluenda sunt, si non statim per separationem bonorum consensione thalami bene sibi prospexerit. z).

§. 12.

b. respectu alienationis.

Constante matrimonio alienatio bonorum adhuc discrimen facit. Ex iure romano demonstrandum est, maritum etiam dif-

D 2

sen-

x) LANGE l. c. pag. 97-99.

y) *Die de Mann ofte Mys trouet, die trouet ook de Schulden.* — A. MATTHAEI in paroemiis belg. pag. 39. — HERTIVS in paroem. iuris germ. Lib. I. pag. 70. *böse Schuldener kriechen den Weibern unter den Rock und verbergen sich für ihre Creditoren.*

z) Qui epouse femme epouse ses dettes. MEVIUS P. III. dec. 138. I. H. BOEHMER in exercit. ad P. tom. IV. exerc. 70. §. 24. I. L. BOEHMER in Elect. Tom. III. exerc. 17. §. 20. LANGE l. c. 195-200.

sentiente et contradicente vxore bona communia posse alienare, dummodo dolus et fraus desint. Sed natura B. C. V. in condominio pro indiuiso fundata longe aliter disponit et vni parti haud permittit, sine consensu alterius aliquid alienare, sed marito consensus vxoris ad alienationem impetrandam semper necessarius est. Quae natura et generalis obseruantia etiam in speculis adoptota est, cum Spec: Sac: *kein Weib mag auch ihres Guts nichts vergeben ohne ihres Mannes Willen, das er es durch Recht leiden darf*, et Spec: Suev: cap: 38. et 46. *noch ein Mann ohne seines Weibes Willen*. Certe non semper necesse est, foeminam in qualibet alienatione expressis verbis consentire, sed iam satis est, si de negotio pertractando scientiam habuit atque silentio ratihabuit. Eodem modo ex naturalibus argumentis etiam vni coniugi prohibetur, per testamentum de bonis suis dispositionem facere, nam ex principio condominii, ex mutatione condominii in dominum solitarium et ex natura rei tam clarum est, quam quod clarissimum. Nam insanum erit ad dies vitae hoc vetare, et donationem mortis causa permittere.

## §. 13.

## b. finito matrimonio.

Principales effectus finito matrimonio in hoc consistunt, vt, vbi communio bonorum est, nulla cogitatio de successione hereditaria

ditaria esse possit, sed ex condominio pro indiuiso certissime sequi debet, mutatio eius in dominium solitarium, quia causa nunc cessat, quae alteram partem non in iure sed in possessione omnium bonorum impedit, quare etiam inuentarii confectio, a iure ciuili praescripta, non requiritur. Sed inconsequentes opiniones ac decisiones Ictorum hac in materia legitimam paternam etiam volunt constituere.

Nam cum iure romano pater vel mater filia vel filio defuncto legitimam petere possint, etiam amor iurisprudentiae romanae Ictos incitauit, ius romanum ad hoc institutum hac in thesi applicare. Sed primum legitima parentum Germanis haud fuit cognita, quin etiam ex generali principio condominii sequitur, parentes et omnes, quibus ius succedendi secundum ius romae competit, iis in locis, ubi C. B. V. obtinet, nihil acquirere posse, quia tunc vel mutatio condominii in dominium solitarium vel C. B. prorogata enascitur.

Ad probanda ea, quae ex natura rei deponunt, nonnullorum Ictorum responsa, hac in materia in comitiis adeo data, addo aa).

aa) PVPFEND. Tom. III. obs. 116. Exemplum maximi momenti in *Sachen der Reichsstadt Halle in Schwaben* inueniri potest in MUELLERS *Reichstags- Theater unter Max. I. Theil II.* p. 467.

#### ERRATA.

- P. 5. A. a. cuius dantur.  
B. proprietatibus l. propriis.

---

*T H E S E S.*

*I.*

*Priiilegia conuentionalia ad heredes transeunt.*

*II.*

*Priiilegia in re aliena per non usum 30 annorum amittuntur.*

*III.*



---

  
III.

*In successione uniuersali ab intestato, successio in bona extra territorium defuncti sita, non secundum ius rei sitae sed secundum ius domicilii fit.*

## IV.

*Actiones poenales hodie non sunt applicandae.*

## V.

*Auum etiam qua talem, non solum qua heredem filii in subsidium ad alimenta praestanda liberis filii illegitimis, obligatum esse, contendo.*

## VI.

---

---

*VI.*

*In legatis extraneo in testamento parentum inter  
liberos relictis, semper testes quinque necessarii.*

*VII.*

*Res cum pecunia dotali comparatae, non pro  
dote sunt habendae.*

---

ULB Halle

3


004 833 155



*Sl*







*Handwritten text on the book's spine, likely a library or collection identifier.*

1792, 8  
496 / 8

DISSERTATIO INAUGURALIS IURIDICA  
Q V A  
C O M M O D A  
S V P E R S T I T I S C O N I V G I S  
I N  
C O M M U N I O N E B O N O R V M V N I V E R S A L I  
M I N I M E  
S V C C E S S I O N E M H E R E D I T A R I A M  
S E D  
M U T A T I O N E M C O N D O M I N I I I N D O M I N I V M S O L I T A R I V M  
E F F I C E R E C O N T E N D O

Q V A M  
S V B A V S P I C I I S A V G V S T I S S I M I S R E G I I S  
C O N S E N T I E N T E  
I L L V S T R I I V R E C O N S V L T O R V M O R D I N E  
P R O S V M M I S  
I N V T R O Q V E I V R E H O N O R I B V S  
R I T E C A P E S S E N D I S  
E R V D I T O R V M E X A M I N I S V M I T T I T  
A V C T O R  
F R A N C I S C V S P H I L I P P V S C H R I S T I A N V S  
M E C K L E N B V R G  
B O I T Z E N B V R G O - M E G A P O L I T A N V S

DIE XX APRILIS MDCCLXXXII

G O T T I N G A E  
I N O F F I C I N A B A R M E I E R I A N A .